

VARIA

WILFRIED STROH

Institut für Klassische Philologie Ludwig-Maximilians-Universität
Geschwister-Scholl-Platz 1, 80539 München
Germany

DE PHILOSOPHIS ET RHETORIBUS INTER SE AEMULANTIBUS

ABSTRACT. Stroh Wilfried, De philosophis et rhetoribus inter se aemulantibus (The rivalry between philosophers and rhetoricians).

From the time of Isocrates, who first made fun of some philosophers, and Plato, who in his *Gorgias* despised the orators and denied rhetoric being an art, up to the end of antiquity there was a vehement fight between rhetoricians and philosophers as educators of young people. But for a long time in this dispute we only hear the voice of philosophy, since rhetoric whose utility seemed beyond doubt not thought it necessary to defend herself. Cicero was the first of all writers we know who justified rhetoric and blamed Socrates for having separated the arts of speaking and thinking. Also in imperial time rhetoricians had to apologize, for then we first hear about men who deserted from rhetoric to philosophy.

Keywords: philosophy, rhetoric, education, Plato, Isocrates, Cicero.

Multum distare inter se philosophiam et rhetoricam quis nescit? Illa ambigua distinguit, naturam rerum explicat, uiam ad beate uiuendum ministrat. Haec, ut persuadeat, argumentis docet, moribus conciliat siue suauitate delectat, affectibus permouet. Id olim tamen commune habebant quod utraque se aptissimam credebat ad iuuentutem educandam. Vnde acerrimum certamen exitit inter duas disciplinas. Cuius auctor uidetur fuisse **Isocrates**. Qui in oratione *Contra sophistas* (or. 13,1-8), postea in *Antidosi* (or. 15,258-280) irridet eos magistros, qui ueritatem certam quaerere rationemque bene recteque uiuendi sese monstrare profiteantur. Vbi certe Socraticos quosdam respicit. Suae autem *philosophiae*, quam nominat, bene dicendi officium tribuit, quod cum bene sentiendi studio, inde etiam cum bonis moribus coniunctum sit. Artem autem esse eam rationem dicendi, quae certis legibus consistat, negat.

Respondisse uidetur **Plato**, magis tamen oratoribus Atheniensibus quam Isocrati rhetori inimicus. Nam in *Gorgia*, ubi uehementissime in rhetoricam inuehitur (461 B sqq.), et ipse eam artem (*technen*) esse negat, sed aliis de causis. Artis enim esse dicit quod *bonum* sit quaerere; oratores autem nihil curare nisi quod *iucundum* sit audientibus, ut deliciarum coqui, qui non ad sanitatem, sed ad uoluptatem conuiuiarum spectent. Nec rhetoricam rationem reddere posse eorum quae doceat, sed in usu solo uersari qui ratione careat. Postea tamen in *Phaedro* (259 E sqq., 270 B sqq.) concedit fieri posse ut ars rhetorica existat, siquidem cum dialectica et animorum scientia coniungatur. De bono autem nil iam disputat.

Aristoteles autem, cum III libris *Rheticam* scribit, e magna parte id exsequitur quod Plato in *Phaedro* adumbravit: Artem esse eam probat, utilem quoque, etiam si quidam ea abutantur (rhet. 1,1); praeceptorum suorum rationem reddit; totam materiam diligentissime in partes digerit. Nec tamen illam aemulationem inter philosophiam et rhetoricam sustulit. Neque enim, quantum scimus, discipulos in arte dicendi exercuit; unus Cicero (de or. 3,80 et saepius) testatur eum *disputationes in utramque partem* instituisse, quae tamen ad oratorem erudiendum uix sufficiunt. Non igitur credendum est omnem iuuentutem tum Aristotelio more educatam esse, sed floruisse etiam scholas rhetorum. Quod uel eo comprobatur quod saeculo quarto et tertio a.Chr. multi philosophi contra rhetores scripserunt: Alexinus Megaricus, Nausiphanes doctor Epicuri, Phaenias Aristoque Peripatetici. Nec rhetores respondere dignati sunt, nempe quia satis multi adulescentes sponte sua eorum disciplinam frequentabant. Fuit certe illud, de quo postea Cicero (de or. 3,60) questurus erat, *discidium quasi linguae atque cordis, ut alii nos sapere alii dicere docerent*. Vnus tamen excipiendus est Demetrius Phalereus tam philosophia eruditus quam in oratoriis rhetoricisque artibus egregie uersatus.

Saec. II a.Chr. medio **Critolaus** Peripateticus aduersus auctoritatem Aristotelis sui etiam acrius rhetoricam oppugnare coepit, quem Diogenes Stoicus, Charmadas Academicus aliique secuti sunt. Quorum argumenta nobis e Cicero, Philodemo, Quintiliano, Sexto Empirico nota sunt: Non modo inutilem, sed etiam perniciosam rhetoricam ciuitatibus dicebant. Quem nouum ardorem multi nunc credunt e studio quodam captandae Romanae iuuentutis ortum esse; sed causa potius posita est in incremento quod rhetorica cepit ex *Artibus Herma-gorae* Temnitae. Qui post Aristotelem artem oratoriam tam subtiliter elaborauit inque suas partes, *theses, hypotheses, stases* etc. digessit, ut uerae arti nil deesset. Quo magis contra clamabant philosophi. Rhetoricam autem, quod sciamus, primus omnium defendit **Molo** Rhodius Ciceronis magister, qui *In philosophos* scripsit. Alter autem eius magister, **Philo** Academicus, rhetoricam adeo non spernebat ut etiam doceret ipse discipulosque controuersias declamare iuberet. Sic uidelicet eos a rhetoribus auocabat.

Hosce secutus **Cicero** et defendebat rhetorum artes et utramque disciplinam, quam unam atque eandem pridem fuisse putauit, inter se coniungebat, id tamen

diuerso modo. Nam adulescens cum *De inuentione* libros scriberet, Platonem aliquatenus secutus est, qui sapientissimum quemque in rebus publicis regnare uoluerat (rep. 573 C). Eum Cicero fuisse ueterem statum ciuitatum credebat, idque effecisse sapientes eloquentia freti. Cum autem nimium disertis quidam rabulae gubernacula ciuitatum occupauissent, sapientes in otium coegissent, extitisse perniciosum illud sapientiae eloquentiaeque discidium (1,4). At postea in *De oratore* libris illam culpam Socrati philosophiae paene parenti attribuit, qui nomen philosophiae antea commune unus usurpauisset ac dicendi sentiendique artes segregauisset (3,60); oratoresque monuit ut e philosophorum scholis quae sibi utilia uiderentur arriperent. Ergo ut in illis scriptis adulescens olim philosophos ad rhetoricam et rem publicam capessendam uocauerat, sic in his oratores ad philosophiae studium hortatus est. Quo tamen philosophiam quasi rhetoricae ancillam fecit; persuasioni, non ueritati seruire iussit. *Discidium* certe illud *linguae atque cordis* neque ipse neque alius tollere potuit.

Extincta una cum Cicerone libera re publica cum **aetate Caesarea** dignitas artis oratoriae ualde diminuta esset, non mirum est multos rhetorum discipulos quasi in portus philosophiae fugisse, de quo Quintilianus (inst. 12,3,12) queritur. Quorum primus uidetur fuisse Vergilius (catal. 5), sequuntur Dio Chrysostomus, Lucianus, Marcus Aurelius. Ac nunc tandem cum rhetores non iam taciti manerent, quasi aequum proelium inter ueteres aemulos extitit: Accusat rhetoricam Sextus Empiricus, defendunt Quintilianus et Aelius Aristides, quem denuo refutare studet Porphyrius Platonius.

Quod certamen durauit donec **Christiana religio** plurima nouauit. Quae non nihil detrimenti attulit rhetoricae, cum multi ecclesiae doctores e rhetoribus profanis contionatores sacri fierent: Lactantius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Augustinus. Ex alia parte tamen rhetoricam etiam auxit. Nam Lactantius (inst. 1,1,10) fatetur se oratoriis illis artibus libenter uti ad ueritatem philosophiae Christianae illustrandam; et Augustinus in usum Christianorum rhetoricam artem conscribit ualde Ciceronianam, scilicet librum IV *De doctrina Christiana*. Medio aeuo rhetorica ut fundamentum liberarum artium colitur, non ut ad dignitatem philosophiae siue theologiae escendat. Sed cum renatis litteris studia humanitatis florerent, rhetorica denique ad pristinum honorem euecta est. Quae in scholis Germanicis quidem usque ad saec. XIX docebatur; nunc ibi una cum philosophia turpiter iacet, extra scholas satis floret.

Hans von Arnim *Leben und Werke des Dion von Prusa. Mit einer Einleitung: Sophistik, Rhetorik, Philosophie in ihrem Kampfe um die Jugendbildung*, Berolini 1898

Kasulke Ch.T., *Fronto, Marc Aurel und kein Konflikt zwischen Rhetorik und Philosophie im 2. Jh. n. Chr.*, Monachii 2005

Liebersohn Y.Z., *The dispute concerning rhetoric in Hellenistic thought*, Gottingae 2010

Stroh W., *Philosophie und Rhetorik in der antiken Bildungsgeschichte*, [in:] Rolf Kussl (ed.),

Antike im Dialog. Dialog Schule-Wissenschaft, Klassische Sprachen und Literaturen, vol. 45, Spira Nemetum 2011, 11-105

DE PHILOSOPHIS ET RHETORIBUS INTER SE AEMULANTIBUS

S u m m a r i u m

Inde ab eo tempore, quo Isocrates rhetor philosophos quosdam, quod iuuentuti minus utiles essent, uituperauit, Plato contra in *Gorgia* oratores derisit, rhetoricam artem esse negauit, usque ad ultimam antiquitatis aetatem durauit certamen quoddam inter harum disciplinarum magistros. In qua aemulatione diu rhetores ut superiores uidemus a philosophis impugnatos esse, nempe quod de rhetoricae utilitate nemo dubitaret. Cicero autem primus eorum quos nouerimus respondit, qui in libris *De oratore* Socratem accusauit quod dicendi sentiendique artes segregauisset. Etiam Caesarea aetate, rhetores defendere sese cogebantur. Tum enim primum audimus de eis qui a rhetorica ad philosophiam transfugerint.